



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.  
Thomam De Beatitudine. De Actibus HUMANIS. De  
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.  
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

**Lessius, Leonardus**

**Lovanii, 1645**

Dvb. 2. Quomodo Indulgentiæ defunctis concedantur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

CAPVT V:  
De Indulgentijs Defunctorum.

DVBIUM I.

Virum Indulgentia profini defunctis?

38  
Non pro-  
sunt dam-  
natis vel  
Beatis, sed  
in Purga-  
torio exi-  
stentibus,

**S**uppono: Nec beatis, nec damnatis prodesse. Vide D. Augustinum in Enchiridio cap. 110. & lib. De cura pro mortuis habenda, cap. 1. Nunc Respondeo: Indulgentias prodesse defunctis in Purgatorio detentis, si illis ab Ecclesia applicentur? Est certum: & contrarium est hæresis, vel hæresi proximum.

Probatur Primò: Nam inter cæteros Lutheri articulos damnatur etiã iste vigesimus secundus: Indulgentia sex hominum generibus nec sunt necessaria, nec viles: mortuis seu morituris, infirmis, legitime impeditis, his qui non admiserunt crimina, his qui crimina commiserunt sed non publica, his qui meliora operantur. Vide Leonis X. Bullam apud Caietanum 3. parte quæst. 48. art. 5.

Probatur Secundò: Quia defuncti sunt membra Ecclesiæ, Fide, Spe, & Charitate ei coniuncta; vt docet D. Augustinus lib. 20. de Ciuitate Dei, c. 9. ergo ab Ecclesiâ iuari possunt. Consequentiã probatur, quia idcirco est bonorum cõmunio in Ecclesia, quòd fideles sint inuicem membra: membrum autem pro membro sollicitum sit, & laboret.

Probatur Tertio: Suffragia, id est, preces Ecclesiæ, sacrificia, & alia pia opera profunt defunctis, vt patet 2. Machab. cap. 12. v. 46. Sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur. Idem definitum est in Cõcilio Tridentino sess. 25. in principio; & in Florentino, in decreto vnionis Armenorum cõ Ecclesia Latina. Idem quoque docent Patres apud Gratianum 13. quæst. 2. Cur non etiam illis profint satisfactio- nes Christi & Sanctorum, si per Ecclesiam applicentur? Possè autem applicari, ex eo liquet, quòd sint membra Ecclesiæ opis indiga.

Probatur Quarto: Ex vsu Ecclesiæ satis antiquo. Nam Paschalis I. ante annos 700. Indulgentias defunctis concessit, cuius factum vndecim sequentes Pontifices confirmarunt. Idem fecit Gregorius I. ante annos ferè mille, vt monumenta testantur, quæ in templo S. Prædix, & alibi Romæ passim extant. Vide Gabrielem in Canonem Missæ, lectione 57. Ioan. Maiorem, dist. 20. qu. 2. sub finem. & Nauar. notab. 22. num. 9.

DVBIUM II.

Quomodo Indulgentia Defunctis  
concedantur?

39  
Mich. Me-  
dica.

Verius est  
dari per  
modum suf-  
fragij, non  
absolutio-  
nis.

**M**ichaël Medina disput. 7. cap. 34. de Indulgentijs, existimat illis conferri per modum absolutio- nis, sicut viuis; idque valdè acriter tuetur. Contrarium tamen est verius, & probabilius: nempe, solum per modum compensationis seu suffragij illis Indulgentias conferri. Est communis sententia. Nam præter eos, qui hoc modo etiam viuis dari volunt Indulgentias, tenet hanc sententiam etiam illi, qui viuis dicunt concedi per modum absolutio- nis: Bonauentura dist. 20. parte 2. quæst. 5. Richardus eadem dist. circa 3. principale, quæst. 3. Maior

suprà dist. 20. quæst. 2. vbi dicit id à Parisiensi Facultate esse definitum. Gabriel in Canonem Lect. 57. Caietanus Opusc. 15. cap. 5. Nauar. notab. 22. de Indulgentijs num. 7. & alij.

Probatur Primò: Quia Ecclesia in defunctorum animas nullam habet iurisdictionem: ergo non potest illis dare Indulgentias per modum iuridicæ ab- solutionis. Antecedens probatur, Matthæi 18. v. 18. Quicquid solueritis super terrâ, erunt soluta & in calis: vbi datur potestas tantum in viuentes super terram, vt indicat Gelasius Papa, Capit. Legatur, 24. quæst. 2. vbi ait: Super terram, inquit Dominus; non in ligatione defunctum nunquã dixit esse absolendum. Hic probat Gelasius, defunctum in excommunicatione non posse ab Ecclesia absolui, quia Dominus inquit, Quidquid solueritis super terram. D. Leo epist. 90. ad Episcopum Narbonensem de cõmuni- one priuatis, & ita defunctis: Horum causa iudicio Dei reseruanda est, ( quia videlicet Ecclesia non potest eos absoluerè. ) & infra dicit: Nos talibus communicare non possumus. Eadem docet Gratianus in eadem quæst. & causa in principio: Super terram, inquit, non sub terrâ, ostendens quòd viuentes pro varietate suorum meritorum soluere possumus, & ligare; de mortuis verò sententiam ferre non possumus. Idem confirmatur ex Ambrosio lib. 2. de Cain & Abel, cap. 4. Dominus, inquit, par ius esse voluit soluendi at- que ligandi: atqui Ecclesia defunctos ligare nõ potest: ergo nec soluere.

Probatur Secundò: Pontifices in omnibus Indulgentijs, quas defunctis concedunt, addere so- lent, eas obtineri vel concedi per modum suffragij; satis per hoc insinuantes aliter se conferre non posse. Dubium enim non est, quin optimo & efficacissimo modo, quo possunt, eas concedere velint.

Dicuntur autem concedi per modum suffragij Indulgentia, non quia conceduntur ipsi mediante opere viuorũ, vt vult Gabriel, (hoc enim non est concedere Indulgentias ipsas per modum suffra- gij, sed per alterius suffragium: ) verum quia ipse satisfactio- nes Christi & Sanctorum applicantur illis tanquam suffragium, id est, tanquam opus bonum suffragatorium vel opulatorium. Nam valdè probabile est etiam sine opere alieuius alterius viuientis posse eis à Pontifice immediatè Christi & Sanctorum satisfactio- nes applicari. Ita docet Nauar. notab. 22. nu. 33. vbi dicit aliquot Pon- tifices huiusmodi Indulgentias concessisse.

DVBIUM III.

Virum Indulgentia Defunctis, per modum  
suffragij concessa, valeant illis ex condi-  
gno, certaq; lege; an tantum ex con-  
gno, nempe si Deus acceperit?

**R**espondeo, Quidquid Caietanus & alij qui- dam dixerint, valere ex condigno, & certâ lege. Est ferè communis sententia, vt docet Nauar. notabili 22. num. 18. Probatur: quia etsi fortasse nostra satisfactio non alteri valeat ex cõ- digno, tamen satisfactio Christi ita valet non so- lum viuis, sed etiam defunctis: atqui hæc potissi- mum applicatur per Indulgentias, vt patet in Ex- trauiag. Vnguentis.

Dices: Ergo Pontifex posset vno die exhaurire Purgatorium.

Respondeo

40

Quid sit,  
dari indul-  
gentias per  
modum suf-  
fragij.

41  
Valent ex  
condigno,  
& certâ le-  
ge.